Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2095
Quelle:
Copyright:

ris *Salzburg*. Dioec. *nam*, ait Noster, *pro eadem oblatione Reverendus in christo pater dominus dominus Benedictus Abbas monasterij ejusdem decimas in Obernczell, Swaykhoff et pluribus aliis locis monasterio predicto redemit et in vsum liberum redegit*. Ante Canonem habetur Icon superiori multum similis. *Fol.* 242. inter Orationes diversas occurrit etiam Missa *de viginti quatuor Senioribus*, de quorum Cultu praeposterо pluries dixi in his Commentariis. Interdictum fuisse lapsu temporis, liquet ex verbis in margine subjectis: *Vacat de 24or seniorib̃us*; *το* enim *vacat* *τεχνικον* olim erat Librariis, veluti dicas: Scriptum non reputatur.

DCCCLIX.

Codex membraneus lat. Sec.R. 3334 XV. Folior. 160. 4. luculente, pulcreque perscriptus, coloribus illustratus, et ante Canonem eleganti *Christi* de cruce pendentis, Matreque et Discipulo stipati pictura ornatus *Missale* est, exaratum, ut praefert, Anno 1453tio. occasione Consecrationis Aediculae S. *Udalrici* Parochialis Ecclesiae in Coenobio *Monsee* filialis, eique Aediculae dicatum a Scriptore, qui ita praefatur:

Dederat manipulum tibi pontifex vdalrice,
En hoc quoque presens elegantis dextra manus
Gloriam ob laudis te sonorius attollentis
Exigat illud. donaria merces bona meritorum
Nomen. quod stirpe rivolat de Schönprun exiat
Hortor te intime fulcitum glorie presulem
Animis quo valeam. hunc fratrem in campo Menseo
Regule custodem signes crucifixe ihesu,
Dotis proficiat prosperis hic. sinu ossa colligens,
Virtus dum preualeat supernorum afflet odorem
Spiritus iste pie orans redeat ad dominum.

Ut Saliare Carmen me legere putarim, e primis tamen Versuum literis adsecutus sum Scriptoris nomen DEGENHARDVS, qui stirpis *de Schönbrun* fuisse videtur et Coenobita *Lunaelacensis*; id enim vult *Campus Menseus* graecissans a Mnm. Porro Missale ipsum hoc ordine procedit: Index. Gloria in excelsis et Credo. Praefationes aliquot per annum cantari solitae. Canon. Missae pro Festis Domini, B. V. M. et quorundam Sanctorum. Commune de Sanctis. Agenda Mortuorum, ubi peculiare istud, memoriam fieri *Chunradi* Abbatis loci, qui a. 1145. ob defensa et vindicata Ecclesiae suae jura trucidatus *Beati* titulum inter suos retulit, et de cujus corporis inventione, translatione, signis et cultu in *Chronico Lunaelac.* an. 1748. 4. excuso passim agitur. Preces vero de eo sic conceptae sunt: